

corum pertinentia, et administrandi bona beneficiorum vacantium, et appellantur collectores vel subcollectores spoliorum.

Ex quibus omnibus sequitur ex jure communi clericos non posse per actum ultimæ voluntatis disponere de bonis quæ sub appellatione spolii in sensu explicato comprehenduntur, sed bona hæc in hodierna disciplina spectare ad Camera spoliorum.

35. Verum pro variis regnis editæ sunt peculiare Constitutiones a Romanis Pontificibus, quæ moderamen induxerunt in materia spolii, quæque in summaria forma referuntur ab Aloysio Guerra in opere *Pontificalium Constitutionum Epitom. l. 1. tit. De spoliis*. Insuper Romani Pontifices in præsentia materia novum jus constituerunt in publicis conventionibus cum principibus et guberniis civilibus, præsertim quoad administrationem et fructus beneficiorum vacantium.

36. Præterea ex Const. Pauli V. *In eminenti, diei 8. Aprilis 1606* clerici sæculares, commorantes, et decedentes Romæ vel in ejus districtu intra decem milliaria exempti sunt a lege spolii quoad bona existentia intra prædictum spatium, non exceptis bonis acquisitis ex injusta negotiatione.

37. Insuper lex spolii non obligat Conclavistas ex Constitut. Greg. XV. *Romanus Pontifex data idibus Martii 1626*. Pariter S. Pius V. in Const. *Romani Pontificis n. 42*. decernit exigi non posse spolium a clericis, quorum beneficia vel pensiones non excedant valorem annum triginta ducatorum aureorum de Camera, dummodo ab illicita negotiatione abstineant.

38. Tandem ab eadem lege exempti sunt illi, qui sese componunt cum Camera spoliorum, idest annuam moderatam pecuniæ summam eidem solvunt, et obtinent facultatem de bonis etiam superfluis disponendi.

39. Inter hos accensendi sunt præprimis S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui in eorum promotione obtinent a Summo Pontifice facultatem testandi per literas in forma Brevis quæ incipiunt *De Benignitate Sedis Apostolicæ*, solvere tamen debent Congregationi de Propaganda fide scutata quinquaginta, et ab ea recipiunt annulum aureum discreti valoris.

40. Fatendum tamen est, ob mutatas temporum conditiones, et ob hodiernas civiles legislationes præsertim in locis ubi de rebus ecclesiasticis per concordata provisum fuit, consuetudinem inductam fuisse ut clerici sæculares de bonis propriis nulla habita ratione

ad eorundem bonorum originem, per actum ultimæ voluntatis libere disponant, nec hæredes sive testati, sive ab intestato succedentes molestias ullas ab administratoribus Cameræ spoliorum paterentur. Porro juxta ea quæ tradit Fagnanus *in Comm. cap. 5. De pecul. Cler. n. 1*. circa finem consuetudo in præsentia materia magnum pondus habet; nec corruptela dici potest: secus enim contra eam Romani Pontifices conclamarent et Constitutionum promulgatarum observantiam urgerent. Verum licet hæc consuetudo silentio Cameræ spoliorum et S. Sedis munita eximat Clericos, et eorum hæredes ab obligatione justitiæ, et per consequens ab onere restitutionis, tamen, ut mihi videtur, antiqua lex confirmata a Concilio Tridentino *Sess. 25. c. 1. De Ref.* quæ vetat, ne bona ecclesiastica superflua clericorum ad causas profanas convertantur, abrogata non est. Cavere igitur etiam hodie ex lege caritatis, et ex præcepto Ecclesiæ clerici debent, ne causas pias de iis bonis defraudent et plus æquo consanguineos, vel familiares ditent.

41. Hæc dicta sint de clericorum facultate testandi circa bona pertinentia ad spolium ecclesiasticum proprie sumptum: sed præterea ut notat Lucidi *De Visit. Sacr. Lim. vol. 1. cap. 6. § 1. n. 59*. datur spolium improprie dictum, quod resultat ex sacris utensilibus, quæ a S. Pio V. in Constit. *Romani Pontificis providentia* diserte excluduntur a spolio, quod Cameræ Apostolicæ debebatur.

42. Relate ad hæc sacra utensilia Urbanus VIII. in Constit. *Aequum est, diei 19. Julii 1642* decrevit Cardinales de iisdem testari non posse, sed post eorum obitum tradenda esse Capellæ Pontificiæ Sacratio. Hodie autem Cardinalibus in actu promotionis Summus Pontifex per literas in forma Brevis concedit facultatem de sacris utensilibus disponendi in tabulis testamentariis favore alicujus Ecclesiæ seu Capellæ vel loci pii. Hinc si aliquis ex Cardinalibus hac facultate non utatur, sacra ejus utensilia cedunt sacello Pontificis.

43. Insuper sciendum est S. Pium V. Constitutionem edidisse quinto Kal. Sept. an. 1567, quæ incipit *Romani Pontificis providentia*, in qua uti notavimus sacra utensilia clericorum a spolio Cameræ Apostolicæ debito exclusit. In paragrapho autem primo S. Pontifex decernit hæc sacra utensilia deputata ad cultum divinum etiam in privato sacello relicta tempore obitus a Prælatiis, et a clericis quibuscumque qui Ecclesiam gubernarunt, vel beneficium

obtinerunt, sive sæculare, sive regulare pertinere ad Ecclesiam cui præfuit prælatus, vel in qua clericus habuit beneficium, licet ante obitum renunciaverit regimini Ecclesiæ, vel beneficio. Unde S. Pontifex absolute prohibet quominus prælati, et clerici inferiores beneficiati de hisce utensilibus in testamento disponant et si disposerint nullam et irritam dispositionem esse decernit.

Quapropter nisi specialem facultatem a Summo Pontifice obtinerint prælati, et clerici beneficiati, cum derogatione Pianæ Constitutionis, neque ad causas pias, neque favore aliarum Ecclesiarum possunt per actum ultimæ voluntatis disponere de sacris utensilibus, sed ea ipso jure applicata sunt, et incorporata censentur propriæ defuncti Ecclesiæ.

44. Quoniam vero plures exortæ sunt quæstiones circa interpretationem Constitutionis Urbani VIII. quoad Cardinales, et S. Pii V. quoad prælatos et reliquos clericos beneficiatos, quæ agitatæ fuerunt in tribunali S. Rotæ et in Sacra Congregatione Concilii, hinc ad eas tollendas a Gregorio XVI. S. Congregationi Episcoporum et Regularium commissum fuit varia puncta disputabilia expendere, et dubia resolvere. Gregorio autem defuncto, Pius IX. resolutionem S. Congregationis probavit, et regulam servandam publicavit in Literis Apostolicis in forma Brevis *Quum illud plurimi, diei 11. Septembris 1846* relatis a Cardin. Bizzarri in sua Collectanea pag. 127.

Porro utile arbitramur documentum hujusmodi ad literam referre quod est tenoris sequentis.

Pius PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

45. 1^o. Quum illud plurimi referat ut in Apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus, quæ animos torqueat, ac controversias excitet, idcirco si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas nostras libenter intendimus. Jamvero præter indultum testandi de propriis bonis, quod venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sancta hæc Sedes tribuere solet per Apostolicas Literas in forma Brevis incipientes *De Benignitate Sedis Apostolicæ*, iisdem per alias similes literas in forma Brevis, quarum initium *Cum fel. rec. Urbanus VIII.*, facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicujus Ecclesiæ, vel capellæ, vel loci pii, non obstante constitutione Urbani VIII.

Aequum est, edita die 24. Julii anno 1642, qua sacra Cardinalium utensilia pontificio sacrario attribuuntur. Verum quum in memorato postremo Brevis, etiam quando agitur de Cardinalibus, Archiepiscopis et Abbatibus, ex quodam invecto usu addi consueverit clausula *'Salvaque in præmissis quoad Ecclesias cathedrales, metropolitanas, aut patriarchales, quibus præfueris, seu quas alias ex concessione, vel dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, dispositione constitutionis fel. rec. Pii PP. V. anno 1567 tertio Kal. Septemb. anno secundo'* sæpe sæpius dubia exorta sunt circa interpretationem, et vim hujusmodi reservationis, eo vel magis quod in superius memorato Brevis, *De Benignitate S. Apostolicæ* præfatæ S. Pii V. constitutioni in ea parte, quæ sacra utensilia respicit, aperte derogatur. Si namque Romani Pontifices Cardinalibus, quoque Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum, et illusorium foret, quatenus adjecta clausula, eam vim haberet, quam verba præseferunt. His quoque accedebat, quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant, Cardinales utpote, qui in memorata S. Pii V. constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur.

2^o. Quæ cum ita essent, ven. frater noster Petrus Card. Ostini nunc Episcopus Albanensis, qui tunc temporis episcopalem Ecclesiam Aesinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI. prædecessore nostro, ut rem certo definiret, atque expresse declararet, an Cardin., Episcopi, seu Abbates *Nullius* in Apostolicis memoratis literis S. Pii V. prædecessoris nostri comprehendantur, ac statueret, quænam sacra ornamenta, et supellectiles, et utensilia S. R. E. Cardinalium ad sacrarium pontificium ex memorata constitutione Urbani VIII., et quænam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum *Nullius* sive Cardinalitia dignitate fulgeant, sive illa careant, ad Ecclesias cathedrales ex superius citata S. Pii V. constitutione revera spectent, et quomodo facienda sit divisio sacrarum supellectilium, et utensilium, quando Episcopus sive successive, sive simultanee plures Ecclesias gubernaverit.

46. 3^o. Nos igitur qui in memorati decessoris nostri bonæ mem. Gregorii XVI. locum, licet immerentes, successi sumus, ad præcedendas omnes hac super re dubitationis, ac controversiæ causas, de consilio VV. FF. nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, et con-

sultationibus Episcoporum, et regularium præpositorum, hæc, quæ sequuntur, auctoritate nostra Apostolica decernimus et mandamus.

I. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in Const. S. Pii V. incipiente *Romani Pontificis*, exceptis tamen Cardinalibus Episcopis suburbicariis, nec non exceptis pariter Cardinalibus, Abbatibus *Nullius*, qui in Romana Curia morantur, quorum sacra utensilia, attenta citata constitutione *Aequum est Urbani VIII.* prædecessoris nostri, ad Pontificium sacrarium spectabunt.

II. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis constitutionis S. Pii V., cujus initium *Romani Pontificis providentia*, in literis in forma Brevis incipientibus *De benignitate Sedis Apostolicæ* apponi solitis, in altero Brevis, quod incipit *Cum fel. rec. Urbanus VIII.* auferatur clausula, qua salva edicitur eadem Piana Constitutio, ejusque loco substituantur ea, quæ sequuntur *‘Quod si ecclesiis abbatialibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus præferis, seu quas alias ex concessione et dispensatione Apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris, te vehementer hortamur, prout jam Benedictus XIV. Prædecessor noster in sua constitutione incipiente ‘Inter arduas’ Cardinales hortabatur, ut in prædictis rebus disponendis eas Ecclesias præ oculis habeas, cæterisque præferas’.* Quæ vero hoc in articulo præscriptimus, ea ad singulos Cardinales extendimus, qui ante præsentium litterarum publicationem enunciata testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent.

47. III. Sacra utensilia, quæ vigore constitutionis S. Pii V. incipientis *Romani Pontificis* ecclesiis cathedralibus debentur, hæc esse edicimus: Mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi, et musicæ, libros pontificales, alterum, cui titulus canon missæ; item calices, patenas, pixides, ostensoria, thuribula, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastorem, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quæ sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua: dummodo non per accidens, sed

permanenter divino cultui, sacrisque functionibus fuerint destinata: exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cujusvis generis, quæ legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus, neque constet Ecclesiæ fuisse donata.

48. Volumus propterea teneri, ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate expriment, quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quæ ex Ecclesiæ redditibus, ac proventibus sibi compararunt, ne alias præsumi debeat, ea omnia redditibus Ecclesiæ comparata fuisse.

49. Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. Cardinalium ad sacrarium sacelli Summi Pontificis, spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturæ reddituum, quibus comparata fuerint, et præter ea, quæ in constit. Urbani VIII. incipiente *Aequum est*, in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus, sandalia, chirothecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pixides, ostensoria, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, vasa sacrorum oleorum, et urceolos cum pelvibus ac tintinnabulo; tandem baculum pastorem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum et his similia, exceptis annulis, et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis.

50. IV. Quando Episcopus duas vel plures Ecclesias successive rexit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter Ecclesias Cathedrales duas, habita ratione fructuum ac temporis juxta Const. S. Pii V. incipientem *Romani Pontificis*.

V. Ubi vero aliquis Episcopus simul præfuerit duabus vel pluribus ecclesiis unitis, vel in perpetuam administrationem concessis, quæ habeant capitulum et cathedralem ecclesiam propriam, ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus æquis partibus singulis Ecclesiis cathedralibus, quatenus earundem Ecclesiarum unitarum, seu in perpetuam administrationem concessarum redditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituent; si vero redditus divisi fuerint, ac separati, divisionem fieri volumus singulis Ecclesiis Cathedralibus proportionaliter ratione fructuum.

VI. Quod si constet, Episcopum, qui per translationem duabus Ecclesiis successive præfuerit, comparasse sibi omnia sacra utensilia redditibus tantum unius Ecclesiæ, nulli divisioni locus erit, sed

eadem sacra utensilia ad ecclesiam cathedralem tantum spectabunt illius dioceseos, ex cujus episcopalis mensæ proventibus fuerint acquisita.

‘Hæc volumus, et mandamus, decernentes, has litteras firmas, validas, atque efficaces esse et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, eisque, ad quos spectant, seu spectabunt plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios judicari, ac definiri debere, irritumque, et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari. Non obstantibus, si opus fuerit, nostra, et cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis atque in universalibus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque etiam speciali, et individua mentione, ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

‘Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1. Junii MDCCCXLVII. Pontificatus nostri anno primo.

Aloisius Card. Lambruschini a Brevibus Apostolicis.’

51. Ex hujusmodi Apostolico Decreto deprehendimus 1°. Cardinales Episcopos subjici dispositioni Const. S. Pii V. quæ incipit *Romani Pontificis*, ac proinde eosdem relinquere debere sacra utensilia propriæ Cathedrali Ecclesiæ: excipi autem Cardinales Episcopos suburbicarios et Abbates nullius, quorum sacra supellex ad sacrarium Pontificium pertinet juxta Const. Urbani VIII. 2°. Utensilia Episcoporum qui duabus vel pluribus Ecclesiis successive præfuerunt vel plures Ecclesias simul unitas, aut in perpetuum commendatas rexerunt, dividenda esse juxta proportionem in ipsis Literis Apostolicis *Quum illud*, designatam. 3°. Utensilia Episcopi illi solummodo Ecclesiæ Cathedrali cedere, ex cujus redivibus acquisita fuisse constiterit, quamvis Episcopus pluribus Ecclesiis præfuerit. 4°. Utensilia quæ sive sacrario Pontificis, sive Cathedralibus Ecclesiis debentur, ea esse quæ in iisdem Literis Apostolicis *Quum illud* recensentur. 5°. Ecclesiis solummodo spectare ea sacra utensilia, quæ Episcopi ex redivibus Ecclesiæ sibi compararunt, vel quæ ipsis Ecclesiis donata fuerint; adeoque Episcopos teneri ad inventarium conficiendum eorum utensilium, quæ ex redivibus Ecclesiæ acquisiverunt, vel quæ Ecclesiæ a fidelibus donata fuerunt,

secus præsumitur sacra utensilia comparata fuisse ex fructibus Ecclesiæ.

52. Coronidis loco quæritur, utrum præsumptio de qua sermo est in postremo numero sit tantummodo juris, vel etiam juris, et de jure. Aliis verbis an hæc præsumptio admittat, vel potius excludat probationem in contrarium.

Arbitror præsumptionem hanc esse tantum juris, adeoque illam cedere veritati, quoties de veritate contraria constiterit. Etenim in casu inventarium præscribitur ut habeatur medium probationis ad distinguenda utensilia acquisita ex bonis Ecclesiæ ab aliis utensilibus acquisitis a Prælate ex bonis propriis; uno verbo præcipitur inventarium veritatis cognoscendæ causa. Quare si deficiente inventario, veritas aliunde constet, præsumptio eidem veritati cedere debet. Confirmatur hæc theoria ex resolutione S. Congregationis Episcoporum, et Regul. *diei 4. Aprilis 1851*. Demortuo Martino Caliendi Episcopo Feretrano die 10. Aprilis 1849 absque inventario sacrorum utensilium, divisa eadem sunt inter Capitulum, et hæredes defuncti Episcopi cum protestatione mutuæ restitutionis, si constaret rem aliquam ad quemlibet eorum non spectare. Deinde hæredes Episcopi cognitio Literis Apostolicis super relatis in iudicium vocarunt capitulum. Capitulares ad vitandas molestias judiciales utensilia recepta restituere hæredibus salvo S. Congr. beneplacito. Deinde capitulares ut conscientie propriæ consulere postularunt a S. Congr. confirmationem factæ restitutionis, simulque institerunt ut S. Congr. consuleret Ecclesiæ Feretrane si quod jus haberet circa utensilia tradita prædictis hæredibus. Causa discussa est in contentione partium, et proposita fuit nota sacrorum utensilium de quibus erat quæstio. Ex allegatis cognitum fuit ambigendum esse, an quoad singula utensilia evidentia testimonia haberentur. Propositum fuit dubium, ‘an et quomodo concedenda sit in casu confirmatio Apostolica actui traditionis factæ a Capitulo Feretrano hæredibus Caliendi utensilium designatorum in nota’. S. Congregatio respondit ‘Affirmative facto verbo cum Sanctissimo ad cautelam’. Summus Pontifex resolutionem S. Congregationis approbavit, mandans ut Episcopo scriberetur ad mentem; mens fuit Summum Pontificem desiderare ut hæredes traderent pauperi Ecclesiæ Cathedrali utensilia descripta in postremis tredecim articulis notæ. Hæc causa refertur a Card. *Bizzarri* in sua *Collecanea pag. 649. et seqq.*

De Regularibus in ordine ad testandi facultatem.

53. Si sermo sit de religiosis distinguendum est inter religiosos professos et novitios. Religiosi professi sive prælati, sive subditi testari nequeunt neque ad causas pias. Expresse traditur hæc regula in *can. 7. caus. 19. q. 3.* et deducitur etiam ex *c. 2. h. t.* Ratio est quia per votorum nuncupationem regulares censentur amittere velle et nolle, ac proprietate bonorum privantur saltem in propria persona. Quæ vero acquirunt regulares ex propria industria ex. gr. ex magisterio, prædicatione, etc. cedunt eisdem in solum usum personalem, non autem in liberam proprietatem. Hinc nisi regularis obtinuerit a Romano Pontifice facultatem testandi, ejus testamentum nullius esset ponderis quamvis ad Episcopatum assumptus fuisset. Nam promotio ad Episcopatum non solvit vota religiosa. Et quidem bona acquisita ab Episcopo regulari post consecrationem cedunt Ecclesiæ in qua fuit Episcopus. Ita *S. Cong. Conc. apud Fagn. De Const. c. 7. n. 80.* Dispositio eadem valet circa donationes mortis causa quæ testamento æquiparantur. Ceterum non videtur interdicta regularibus donatio mortis causa, si fiat in re media, et cum consensu superioris quia hujusmodi donatio non interdicitur regularibus si fiat inter vivos.

54. Quid vero dicendum de religiosis extra claustra viventibus?

1º. Si quidem illegitime degant extra claustra nullum dubium est, eos non posse disponere de rebus quas acquisiverunt, sed eas pertinere ad Cameram Spoliorum juxta Constit. Greg. XIII. et Sixti V. supra citatas. 2º. Si regulares maneant extra claustra ex indulto temporaneo, retento habitu religioso, bona ejus pertinent ad propriam defuncti religionem. Unde de his testari regulares hujusmodi non possunt. Si vero regulares obtinuerint indultum sæcularisationis perpetuum, neque pariter isti possunt testamentum condere, sed bona quæ secum a religione asportarunt ad eandem religionem spectant bona autem quæ acquisiverant incidunt sub dispositionem Const. *Officiû Nostrî* Gregorii XIII. de reservatione bonorum Religiosorum extra Monasterium degentium favore Cameræ spoliorum. Ita resolutum fuit die 26. Junii 1829 a Congr. speciali deputata a Leone XII. Cf. De-Angelis *h. t. n. 5.*

55. Quoad Religiosos qui professi sunt vota simplicia, ex resolutione S. Congr. Episcoporum et Regularium *diei 6. Junii 1836* relata a Card. Bizzarri in sua *Collectanea pag. 77.* infertur ipsos

posse de suis bonis testari, et hæredes ab intestato succedere posse in iisdem bonis. Ratio est quia votum simplex paupertatis relinquens religioso dominium radicale, non adimit omnino facultatem de propriis bonis disponendi.

56. Si sermo sit de religiosis non professis, seu novitiis, possunt ipsi testamentum condere ad causas tum pias, tum profanas etiam absque licentia Episcopi vel superioris regularis. Nam ipsi velle et nolle ademptum non est, et adhuc censentur domini rerum suarum. Obstare videretur dispositio Tridentina in *sess. 25. De Reg. c. 16.* qua decernit nullam esse renunciationem aut obligationem Novitii etiam cum juramento et ad causas pias nisi hæc renunciatio fiat, aut obligatio suscipiatur de licentia Episcopi, vel Vicarii Generalis, et intra duos menses professioni proximos: quæ insuper renunciatio aut obligatio ullum non sortiuntur effectum nisi secuta inde professione. Verum hæc dispositio ad testamentum Novitii protrahenda non est. Nam cum testamentum a Novitio possit revocari, non verificatur de testamento ratio prohibitionis renunciationis vel obligationis, qui actus cum essent inter vivos ac proinde natura sua irrevocabiles, possent conditionem Novitii deteriorem reddere, simulque illum impellere ad professionem edendam. At qui ante professionem testamentum condidit, non potest illud revocare post editam professionem sine dispensatione Romani Pontificis, quemadmodum uti res certa allegatur in folio S. Congr. Conc. in *Toletana diei 7. Maji 1718.* Ratio est quia ad revocandum testamentum requiritur libera disponendi facultas quam regularis professus non habet. Verum regularis post professionem potest vel tenetur explicare verbum dubium testamenti sui conditi ante professionem. Qui enim explicat, non disponit.

57. Quærendum nunc est quinam jure canonum possint hæredes institui.

Hæres ille est, qui in universum jus defuncti succedit *l. 37. ff. De acq. hæred.* Hinc hæres dicitur repræsentare personam defuncti. Hoc posito jure nostro omnes homines possunt institui hæredes sive singuli, sive corpora moralia, sive causæ piæ, sive causæ profanæ, dummodo non prohibeantur a canone. Jus vero canonicum hac in re non plura disponit cum jam ipsum jus civile contra delinquentes circa religionem abunde disposuerat privans passiva testamenti factione Judæos, hæreticos, apostatas. *Cap. 5. De pœnis*

in 6.^o adjungit percussores S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium. At quædam in specie de regularibus dicenda sunt.

58. Ex *cap. 3. sess. 25.* de Regular. omnes familiæ religiosæ bona mobilia et immobilia possidere possunt. Excipitur tamen familia regularis Capuccinorum, et Fratrum Minorum S. Francisci qui de observantia nominantur. Ex hac lege sequitur familiam Capuccinorum, et fratrum minorum S. Francisci de observantia nec institui posse hæredes; et hoc non solum de individuis verificatur, sed etiam de ipsa communitate, et corpore morali. Exceptis mendicantibus Capuccinis, et Fratribus Minoribus S. Francisci de observantia, reliquæ familiæ religiosæ possunt hæredes institui quia bona possunt possidere.

Si vero instituatur religiosus alicujus ex his familiis, quoniam ob votum paupertatis est incapax jurium possidendorum, ipse hæreditatem capere non potest, sed institutio valet, et ipsa religiosa communitas succedit. Nam in jure inductum est principium: Quidquid Monachus acquirit, non sibi sed Monasterio acquirit.

Quid vero si voluntas testatoris fuit expressa ita, ut non communitas sed religiosus succederet? Si appareat ex errore testatoris id factum fuisse, vel si testator desiderium ostenderit, ut suis bonis uteretur religiosus, subordinate tamen ad leges ecclesiasticas, institutio sustinetur, et religio succedit. Si vero appareat voluntas testatoris prorsus adversa sacris canonibus, institutio habetur prout non facta, et hæreditas vel ad substitutum, si adsit, vel ad cohæredes, vel ad hæredes legitimos ab intestato devolvitur.

De legatis.

59. Factionem passivam testamenti pene sequitur jus obtinendi legatum ex ultima voluntate defuncti. Legatum a J. C. in *lib. III. De Legatis* definitur: 'Delibatio hæreditatis, qua testator ex eo quod universum hæredis foret, alicui quid collatum velit'. Cum legatum sit delibatio hæreditatis, legatarius non repræsentat personam defuncti, nec ad relinquendum legatum illæ requiruntur solemnitates quæ ad hæredis institutionem necessariæ sunt. Hinc potest legatum relinqui non solum in testamento, sed etiam in codicillis *l. 7. § 1. et 5. et 6. ff. De jure Codicillor.*

60. Similia legatis sunt fideicommissa, quæ locum habent cum vel portio hæreditatis, vel tota hæreditas ad preces testatoris alicui restituenda est ab hærede directe instituto.

61. Jamvero Ecclesiis, et causis piis tum legata, tum fideicommissa relinqui possunt, immo et regularibus familiis, quibus jure ecclesiastico interdicta non est bonorum proprietas. Valet enim eadem ratio quæ supra pro testamentis allata est.

62. At quid dicendum de Fratribus Minoribus S. Francisci, qui nequeunt possidere? Quæstio solvitur in *c. 3. § Ad hæc quæ fratribus De verbor. signif. et in Clem. 1. eod. tit.* paulo post med. *§ Proinde cum vir.* In quibus locis regula statuitur, non valere legatum relictum ad possidendum ex. gr. si testator legaret agrum, vel vineam ad excolendum, domum ad locandum: valere autem legatum si legetur pecunia ut impendatur pro fratrum necessitatibus, aut si simpliciter legetur domus, ager etc. Hoc enim casu per idoneas personas alienatur fundus, et pretium impenditur pro communitatis necessitatibus. Uno verbo valent legata, quæ præstantur unica solutione, et dummodo hæc legata sint in quantitate moderata, et non in fraudem paupertatis, quemadmodum resolvit Congregatio particularis ab Urbano VIII. negotiis Fratrum Minorum proposita, teste Fagn. *ad cap. 17. De excess. Prælat. n. 51.* Porro in computanda quantitate moderata legati præter indigentias monasterii, cui relinquitur legatum, præ oculis possunt haberi inopia, et adversa fortuna aliorum etiam monasteriorum provinciæ. Statuitur insuper in citatis locis non posse fratres in judicium vocare hæredes, vel executores ut res legatas præstent, quia legata eisdem relicta induunt indolem eleemosynæ, cujus solummodo capaces sunt Fratres Franciscani Minores. Verum Nicolaus III. in *cit. cap. 3.* onerat conscientias hæredum, et aliorum ad quos vel de jure, vel de consuetudine spectat ut sese ex officio promptos exhibeant ad implendas pias defunctorum voluntates. Cohærenter ad hanc dispositionem juris communis S. Congr. superius cit. penes Fagnanum *ad cap. 17. De excess. Prælat.* in responsione ad *art. 1. distinct. 1.* censuit, Fratres Minores tam de familia, quam reformatos neque per se, nec per procuratorem posse exigere in judicio legata de quibus agitur. Attamen syndicum Apostolicum posse implorare judicis officium contra hæredes reluctantes.

63. Quod si sermo sit de legatis annuis habemus resolutiones S. Congreg. Concilii in quibus decernitur Fratres Minores S. Francisci de observantia tam de familia quam reformatos capaces non esse legatorum annuorum cum onere adjecto celebrationis Missarum. Conf. Fagnan. *cit. loc. et n. 49. et 50.* Ratio est, quia secus non